MENSA LUBRICA

MONTGOM

ILLUSTRISSIMO DOMINO

DÑO EDWARDO *Baroni* de Cherbury.

ROboreus longo se porrigit æquore Campus,
Adsimilis Mensæ *Crebro* Tibicine *fultus,*
Deviet à justæ nè quà Libramine *normæ:*
Hunc (*ubi sepositis placuerunt otia curis,*
Et coiëre, suæ quibus est fiducia dextræ)
Pervolitant specie mummorum, argentea *Turba*
Orbiculi, *& vario celebrant certamina cursu.*
Romani *credas spatium te cernere* Circi;
Aut stadium Elei, *lustro redeunte,* Tonantis.
Utq; Coloratas *mirata est* Roma Quadrigas,
Et Prasino, Venetóq; *suo sua factio plausit:*
Sic & nos pictæ studia in contraria scindunt
Laminulæ, *& teretis facies non una* Metalli.
Hinc favor, & Partes, *strepitu cava personat* Aula.
Ira procul male suada, & Ravo gutture Rixa.
At Tu, *qui primo ordiris certamine* Mison,
Compressum extremis digitis, & pollice summo,
Deinde ita libratum tantundem ut distet ubiq;
A facie Tabulæ, *vi prorsum impellito* Discum,
Vi modicâ. namq; hic non bruto robore, quantùm
Consilijs opus est. Leges *ante omnia disce,*
Et servare Modum. *Nam si violentior ibit,*
Emenso stadio *præceps ruet,* Alveus *illum*
Excipit extremæ commissus margine Mensæ,
Sandapilæ *similis, duroq; immitior* Orco.
Unde datur reditus nulli, sors omnibus una;
Seu plumbi ignavi Massa est, seu divitis Auri.
Sed neq; si pœnam meruit temeraria Virtus,
Segnities placeat, dextram comitatur inertem
Et pudor, & risus, cassiq; infamia jactûs.
Est quæ transversam distinguit Linea *mensam,*
Hanc superare tibi sit cura. nec ardua res est.
Namq; avido distat de quo modò diximus alveo,
Quantùm bis Cubitus, *pes ter repetitus, adæquat.*
Nec septum hoc superasse sat est. contemnitur ho
Qui timet, & tutâ pavidus subsistit arenâ.
Pergendum porrò; ille meis fervente Duello
Militet auspicijs, verè ille Argenteus orbis,
Et dignus splendore suo, qui Carcere *pernix*
Evolat, & (cursum accendens tenui stridore)
Lineolam *post se linquit, neq; limine* Campi
Contentus, summâ gaudet consistere Metâ.
Illum hostes oculo obliquo videre, graduq;
Deijcere, & merito certant spoliare Triumpho:
Sed socij fido circumstant agmine, Terga
Claudentes, & utrumq; latus, vitamq; sodali
Morte suâ redimunt. Toto cum tinnula Campo
Bella sonant. Virtus, Dolus, Ars, Sors, *omnia misc*
Præcipuè quando emissus Moderamine certo
Orbiculus, spatio summo sese insinuavit,
Distat ab extremâ bino quod Pollice, Mensâ,
Huic geminum decus, hic Miles duplicarius *esto.*
At si quis multùm Virtuti *fisus, & arti,*
Fatalem Alveolum *haud metuit,* Tabulæq; *supre*
Hæsit, & eminulus *subjectum despicit* Orcum,
Intrepido vultu vestigia pendula librans;
Huic summum est pretium, Triplici hic præfulget h
Qui si oppugnatus, nusquam statione recessit,
Servavitq; locum, neq; deflevêre cadentem
Mærentes socij, plausu super æthera *tollunt.*
Stat juxta, & niveis Victoria *concrepat* alis.
Hos ego nec Manibus *doctus, neq; ludere* Musâ
Docte Baro *expressi te fretus* Apolline Versus.

D. T. C.

OXONIÆ
Excudebat LEON. LICHFIELD Academiæ Typographus. A.
1651